

quid mali à luna proficiscatur, cum id, quod esse nequit à nullo homine sciri, aut intelligi possit.

Addit Mizzaldus, de Ptolemæi sentētia, Capricorni Cometam alicubi rixas efficere: Sagitarij verò labores grauidis periculaq; inferre. Vtraq; sententia tã est leuis, tã nugatoria, vt nō egeat cōfutatione, sed silentio explo-  
denda sit. Qualis enim est vaticinatio, Rixæ erunt alicubi, cum nullibi non rixæ sint, & magnæ contentiones, in tanta mortalium, ingeniorum, studiorum: & (quod mœrens dico) religionum varietate: Quid verò de prægnatibus dicam? Mirarer, si citra laborem esset grauiditas. Vtero enim gerentes omnes molestijs multis opportuna sunt. Sed ad lunam, ait Mizzaldus ex Porphyrio, lunares Cometas in occasu esse omniū bonorū prænūcios. Primū hinc videmus Ptolemæū, cum alijs ferè cunctis, vniuersè à lunæ cometa timere: Porphyrium autem adhibere generis distinctionem: dum in occasu fælicissimū hunc esse tradit. Vix etiam ferenda sunt quæ Ptolemæus prognostica habet, vt ait Mizzaldus in libris de Cometa, vbi inquit: Imminere mala vel Regi vel regno, vel viro alicui principi. Et si non moritur princeps, tamē vel ab hoste, vel nuncio molesto periculum esse: & damnū accipere in bonis, vel corporis, vel animi, vel fortunæ. Quo quidem præfagio, quid scribi possit inscitius equidem ignoro. Ecquis enim est mortalium, qui ignoret, omnibus terris & nationibus hoc fatum fixum esse, idq; vel Dei decreto, vel naturæ necessitate, vel utraque de causa, ut aut domino, aut principi viro, aut ipsi regno, semper aliquid mali accidat, si minus turpitudinis: ac ualitudinis saltem, aut fortunarum? Quæ nam præterea causa subest, quam obrem existente Cometa, mortales pene omnes uulgò & passim expauescant? Veritas ipsa omnes istos redarguit, ipsis etiam profitentibus hoc ipsum. Dicunt Astrologi, non impelli hominem à stellis: liberum esse Deum, nec minus clementem quàm præpotentem, hominisq; consilium & uoluntatem statuunt cū

Porphyrius

Astrologi  
oppugnat.

tes

B